

Habitus scientiarum, quia sunt diversa scibilium genera; in quantum, scilicet, ea, quæ reducuntur in unum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur; sicut dicitur in primo Posteriorum¹, quod una scientia est, quæ est unius generis subjecti. Et ideo scientia indita animæ Christi, fuit distincta secundum diversos habitus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est², scientia animæ Christi est perfectissima, et excedens Angelorum scientiam, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis; est tamen infra scientiam angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.

Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati, et ideo Christus est auctor fidei nostræ secundum divinam scientiam, quæ est simpliciter una.

Ad tertium dicendum, quod lumen divinitus infusum, est communis ratio intelligendi ea quæ divinitus revelantur; sicut et lumen intellectus agentis, eorum quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum, ad cognoscendum cognitione propria unumquodque. Et secundum hoc oportuit esse diversos habitus scientiæ in anima Christi, ut dictum est³.

COMMENTARIUS.

Habitus scientiæ includit tam species intelligibiles representantes objecta, quam lumen, vel habitum qui potentiam facilem reddat ad exercendum actum, et præsertim ad iudicium ferendum. D. Thomas ergo, hoc loco, quantum ex solutione ad tertium colligere licet, potissimum loquitur de habitu huius scientiæ, ratione specierum intelligibilium, et hoc modo dicit hanc scientiam esse divisam per plures habitus, et addit, huiusmodi habitus, seu species intelligibiles, esse in hac scientia Christi minus universales, quam species angelicas. Quæ sententia statim disputanda est; est enim mihi difficilis et valde dubia.

¹ Text. 43, tom. 1.

² Art. 4 hujus quæst.

³ In corp. art.

DISPUTATIO XXIX,

In quatuor sectiones distributa.

DE HABITU SCIENTIÆ INFUSÆ ANIMÆ CHRISTI.

Duo in hac disputatione tractanda sunt primum de speciebus, deinde de lumine; supponimus autem ex philosophia, et communi sententia Theologorum, ad intellectualem scientiam necessarias esse species intelligibiles, quando objectum per se non unitur potentia, neque in Verbo cognoscitur, sed in se ipso, et quia hoc modo fit cognitio per hanc scientiam, certum est eam includere species per se infusas. Deinde supponimus has species esse perfectas quoad vim representandi objecta, ita ut per illas perfecte cognosci possint; in quo dubium non est quin etiam Angelorum species superent, quia sunt altioris ordinis, et perfectiorem cognitionem efficiunt; solum ergo inquirendum de illis superest, quam sint universales vel limitatæ.

SECTIO I.

Utrum species per se infusæ animæ Christi fuerint universales quam angelicæ.

1. Variæ sunt sententiæ, et valde contrariæ. Prima affirmat solum esse infusam animæ Christi unam speciem universalissimam, quæ sufficiens principium est ad cognoscenda omnia quæ cadunt sub hanc scientiam. Ita tenet Marsil., in 3, questione decima, articulo secundo, parte quarta, concl. 2. Fundamentum esse potest, quia hoc non est impossibile, ut ex dictis disputatione præcedenti, sect. 1, colligi facile potest, tum quia nulla implicatio contradictionis in hoc assignari potest; tum etiam quia minus est representari hæc omnia per unam speciem, quam ipsam essentiam Dei; tum denique quia (ut constat ex doctrina de Angelis), quacunq; specie universali facta, potest fieri alia universalior; ergo potest esse aliqua tam universalis, ut representet hæc omnia; est ergo hæc perfectio possibilis, et est major, quia virtus, quo simplicior et magis unita, eo perfectior est; non est ergo cur animæ Christi denegetur hæc perfectio.

2. Secunda sententia dicit species huius scientiæ esse minus universales quam omnes angelicas, ita ut singularum rerum datæ sint singulares species. Ita D. Thomas hic in corpore, et ad tertium, quem Thomistæ sequuntur;

explicant tamen de naturis specificis, non de individuis; Scotus vero, in 3, d. 14, q. 3, et Gabriel, quæstione prima, articulo secundo, concl. 1 et 2, ut supra, disp. 27, sect. 1, visum est, etiam singulis individuis dicunt respondere singulas species intelligibiles. Fundamentum huius sententiæ est, quia hæc scientia data est Christo, modo proportionato et connaturali animæ humanæ; est autem connaturale huic animæ, cognoscere per species limitatas, et minus universales quam sint angelicæ. Quæ sententia est probabilis propter auctoritatem D. Thomæ; fundamentum enim ejus parum suadet, et ideo media via incedendum mihi videtur.

3. Dico ergo primo, species intelligibiles infusas in hac scientia esse plures, et non unam tantum. Hæc sententia est D. Thomæ hic, et in 3, dist. 14, art. 3, et ibi est communis; et opinio Marsilii est singularis, et ideo non videtur tenenda, quanquam evidenter improbari non possit, quia revera non videtur impossibile quod affirmat, ut probatum est. Si autem impossibile non est, cum factum pendeat ex voluntate Dei, quæ non auctoritate aliqua, sed conjecturis colligenda est, constat neutram partem sufficienter posse convinci; tamen non quidquid impossibile non est, statim tribuendum est animæ Christi, præsertim quando nulla est necessitas, et cum alioqui valde difficile intellectu sit, res distinctissimas et diversorum ordinum, naturales et supernaturales etiam, per eandem speciem, in proprio genere representari. Denique, cum hæc scientia minus perfecta sit quam beata, minus simplex et unita est; non ergo per unam speciem, sed per plures cognoscet objecta sua.

4. *Universalitas specierum infusarum Christi.* — Dico secundo: hæc species universaliores sunt quam sint species connaturales intellectui humano. Hæc conclusio colligitur ex doctrina Cajetani hic, quam admittunt omnes Thomistæ; docent enim unam harum specierum, ad minimum, representare unam naturam specificam, et omnia individua sub illa contenta; huiusmodi autem universalis representatio speciei non est connaturalis intellectui humano, ut constat. Item per unam ex his speciebus representatur natura specifica cum omnibus suis proprietatibus, ita ut comprehendere possit, quia Christus per hanc scientiam comprehendebat quamlibet naturam creatam, etiam superiorem humana; at vero hæc representatio excedit naturalem capacitatem ingenii humani. Deinde docent,

per has species scientiæ representari infinita, ut aperte tradit etiam D. Thomas, art. 5, ad 2; sed non possunt representari infinita per species intelligibiles multitudine finitas, nisi aliqua earum representet infinita, ut per se constat; ergo necesse est ut hæc species tantam habeant universalitatem, ut una species valeat representare res infinitas, quæ maxima sine dubio est, et quæ non solum capacitatem naturalem humani intellectus excedat, sed angelici etiam intellectibus vix concedatur. Ratio denique est, quia istæ species sunt superioris ordinis, et non sunt quasi coarctatæ et limitatæ ad imperfectionem sensuum, ex qua oritur tanta limitatio, quanta est in speciebus quas humanum ingenium per sensus acquirit; sicut ergo anima Christi per hanc scientiam elevata est ad altioremodum cognoscendi, ita et ad universales species. Et hæc conclusio magis ex sequenti patebit.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Contra illam vero objici potest fundamentum D. Thomæ, quia species infusæ sunt modo connaturali animæ humanæ. Sed necesse est ut ipsi Thomistæ illud solvant, dicendo hanc scientiam non esse infusam juxta capacitatem tantum naturalem, sed juxta obedientialem, et ideo modum ejus non esse mensurandum ex naturali modo operandi ipsius potentia, sed ex perfectione debita ipsi scientiæ ad quam potentia elevatur; sicut in visione beata elevatur potentia ad unionem cum ipsa essentia divina per modum perfectissimæ et universalissimæ speciei, et ibi non attenditur naturalis conditio potentia, sed perfectio luminis.

6. *Species infusæ animæ Christi speciebus angelicis universaliores.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Dico tertio, has species fuisse universaliores quam sint species Angelorum. Ita sentit D. Thomas, in 3, dist. 14, art. 3; Richard., art. 4, q. 2; Scot., q. 4, quia, licet ipse neque in Angelis, neque in anima Christi admittat universales species, dicit tamen has species animæ Christi fuisse perfectiores angelicis; imo sentit esse perfectissimas quæ de potentia absoluta esse possunt, quod necessarium non est. Probatur ergo conclusio primo, quia in omnibus aliis perfectionibus gratiæ et scientiæ, anima Christi superavit Angelos; cur non etiam in ista? Respondent aliqui Thomistæ, non esse eandem rationem, quia species infusæ sunt connaturales animæ humanæ, et anima Christi superavit Angelos in

perfectionibus gratiæ, non naturæ. Sed hoc non est constanter dictum, nam ipsi concedunt lumen hujus scientiæ non esse connaturale animæ humanæ, sed esse supra naturam etiam angelicam; quod evidenter patet ex objecto ejus, nam se extendit ad cognoscenda omnia supernaturalia; at vero species infunduntur proportionatæ lumini, et intellectui non secundum se, sed prout elevatur per lumen, quia objectum unitur potentiæ ut elevatæ; ut exemplo patet in visione beata, in qua (ut ita dicam) universaliori modo unitur essentia divina intellectui Christi, quam Angelorum, propter perfectius lumen; sic ergo in proposito. Unde retorqueri potest argumentum, quia perfectiones supernaturales altiori modo datæ sunt Christo quam Angelis; sed hæc scientia est supernaturalis animæ Christi; ergo.

7. Respondent aliqui, rationem hanc recte procedere in hac scientia, quatenus circa supernaturalia objecta versatur, non vero ut versatur circa objecta naturalia; quia species priorum objectorum supernaturales sunt, unde non conferuntur servata proportione ad imperfectionem naturæ, sed ad perfectionem gratiæ; at vero species posteriorum objectorum sunt naturales, et proportionatæ naturali capacitati subjecti, et ideo sunt minus universales. Sed neque hæc distinctio placet, nec videtur mihi satis consequenter adhibita. Nam idem lumen indivisibile est hujus scientiæ, quod circa hæc omnia objecta versatur; ergo proxima potentia, cui commensurantur species omnium objectorum, non est intellectus animæ Christi secundum se, sed est intellectus tali affectus lumine, et elevatus per illud; ergo intellectui sic elevato debent omnes species proportionari, et non soli capacitati naturali. Præterea, actus hujus scientiæ, ut versatur circa objecta naturalia, est in se supernaturalis, cum proxime et principaliter procedat a lumine supernaturali; ergo species etiam est supernaturalis, quia oportet omnia principia actus esse illi proportionata. Dices: etiam actus fidei est supernaturalis, et procedit a lumine supernaturali, et nihilominus species naturales ad illum deserviunt. Respondetur non esse simile, quia per actum fidei non cognoscitur objectum creditum, prout in se est, sicut cognoscitur per hanc scientiam. Unde probabile est species non concurrere immediate ad iudicium fidei, sed tantum ad apprehensionem quæ antecedit, et naturalis est; at vero in hac scientia species concurrunt ad per-

fectam rei cognitionem, quæ simul est perfecta apprehensio et cognitio objecti. Unde confirmatur ulterius, nam Christus, per hanc scientiam, longe perfectiorem conceptum format ipsarum rerum naturalium, non solum quam ipse possit per naturales vires, sed etiam quam Angeli possint; perfectiorem (inquam) conceptum, tum in claritate et certitudine quæ a lumine provenit, tum in expressiori repræsentatione, et altiori, quæ provenit ab specie; ergo etiam species talium objectorum datæ sunt animæ perfectiores, et altioris ordinis supernaturalis. Tandem ex his concluduntur rationes, quæ omnibus objectis generales sunt. Prima, quia licet Christus per naturales vires humanitatis non possit præstare aliqua, quæ Angeli possunt per naturales vires, attamen elevatus ejus intellectus potest perfectius hoc præstare quam Angeli, et ita perfectius comprehendit Angelum, vel dictat de omnibus agendis, quam Angelus; ergo pari ratione, quamvis per vires naturæ non possit tam universaliter intelligere, sicut Angeli, tamen elevatus lumine divino hoc poterit, non solum in cognitione in Verbo, sed etiam in proprio genere. Secunda, quia istæ species in sua entitate et substantia sunt perfectiores quam angelicæ, ut sentit D. Thomas, in art. 4, et patet ex ratione facta, quia proportionantur lumini; ergo etiam erunt universaliores, quia est eadem ratio. Ultima, quia alias non posset anima Christi uno actu tam multa simul intelligere, quam Angeli possunt, saltem non adjungendo nova miracula, sed utendo hac scientia modo connaturali, quia (ut supra dicebamus ex doctrina Div. Thomæ) solum potest ea intelligere simul quæ per unam speciem repræsentantur; consequens autem per se satis absurdum videtur. Denique contra hanc sententiam nulla difficultas occurrit, quia fundamentum D. Thomæ jam solutum est, et in re pia et probabili, et quæ majorem perfectionem Christo tribuit, non mirum esse debet quod a sententia D. Thomæ discedamus.

SECTIO II.

An præter species intelligibiles requiratur in hac scientia lumen seu habitus infusus.

4. *Inter habitum et lumen infusum nulla distinctio.* — In hac quæstione etiam sunt duæ extremæ sententiæ. Prima, præter species, requirit duas qualitates distinctas, quas vocat habitum et lumen, ut habitus det facul-

tatem potentiæ, lumen objectum illuminet. Hæc vero opinio improbabilis mihi semper visa est, quia multiplicare, seu distinguere illas duas qualitates, et supervacaneum est, et sine ullo fundamento; quia lumen intellectuale non aliter manifestat objectum, quam præbendo vim et facultatem cognoscendi seu intelligendi illud, et habitus similiter non aliter reddit facilem potentiam, quam inclinando illam, et augendo virtutem, et facilitatem operandi; ergo in intellectu eadem qualitas, quæ est habitus et dat facilitatem potentiæ, manifestat etiam objectum, et ut sic appellatur lumen; non est ergo realis distinctio inter illa duo, sed tantum rationis et denominationis, neque ex effectibus eorum aliud colligi potest. Denique exemplis id potest facile explicari et confirmari: habitus enim fidei non requirit lumen a se distinctum, sed ipsemet dicitur lumen fidei, quatenus aliquo modo manifestat veritatem objecti, et simili modo lumen gloriæ non requirit habitum distinctum, sed ipsummet est habitus, quatenus immobiliter inhæret potentiæ, et dat illi facultatem seu facilitatem operandi.

2. *Intellectus et species intelligibilis quomodo concurrant ad intellectionem.* — Secunda sententia negat esse necessarium in hac scientia lumen seu habitum distinctum ab speciebus. Quam nonnulli etiam Thomistæ sequi videntur. Fundamentum eorum est, quia intellectus, constitutus in actu primo per speciem intelligibilem repræsentantem perfecte objectum suum, est sufficiens principium actus intelligendi secundum omnem rationem ejus; ergo superfluum est alius habitus. Antecedens patet primo inductione, nam Angelus, quia per scientiam inditam recipit species perfectas rerum, ad actus talis scientiæ non indiget alio habitu. Secundo, ratione, quia in actu intelligendi duo sunt, scilicet, ratio intellectionis, et species talis intellectionis: intellectus de se habet vim sufficientem ad efficiendam intellectionem, ut intellectio est; per speciem vero sufficienter determinatur ad intellectionem talis speciei; ergo. Contraria sententia est communior inter antiquos Theologos, et videtur mihi longe verior, et ad eam explicandam, suppono primo ex philosophia, intellectum specie formatum ita concurrere per modum unius completi principii ad actum intelligendi, ut intellectus ipse secundum se habeat aliquam vim activam, et non sit species ipsa tota ratio efficiendi actum. Imo sunt nonnulli Philosophi, qui sim-

pliciter negant speciem intelligibilem habere aliquam efficacitatem, seu concurrere active ad actum intelligendi; quorum sententia ad probandum id quod intendimus, evidentius deservire posset. Sed quia illa nec certa est, nec vera (ut ego existimo), ideo sumimus id quod certum est, quamvis species habeat suam veluti partialem vim et activitatem, intellectum tamen esse, qui præcipue influit in actum per propriam et intrinsecam vim activam suam, hoc enim est de intrinseca ratione actus vitæ. Non est autem hæc efficientia ita intellectui et speciei attribuenda, ut credatur intellectus efficere, in actu intelligendi, quasi rationem genericam intellectionis, species vero intelligibilis efficere differentiam ultimam in ipso actu, est enim hæc distributio commentitia et impossibilis. Primo, quia hæc distinctio gradus generici et specifici in actu intelligendi, est secundum rationem et conceptum, efficientia vero est physica circa rem, ut est a parte rei; sicut ergo actus intelligendi est a parte rei unica simplex forma, in qua ratio distinguit illos duos gradus, ita totus actus fit ab intellectu, et totus ab specie. Secundo, quia totus actus, etiam secundum differentiam ultimam, est vitalis, et informat potentiam, et constituit intelligentem; ergo etiam sub specifica ratione procedit a potentia; et eadem ratione species efficit totum actum, non tantum secundum specificam rationem, sed etiam ut intellectio est, quia virtus activa potentiæ est quasi incompleta et partialis, completur autem per speciem in ordine ad totum actum. Quocirca vulgaris illa distinctio de intellectione, ut intellectio est, vel ut talis est, et quod priori ratione procedit ab intellectu, posteriori vero ab specie, vel rejicienda est, vel solum secundum quamdam accommodationem explicanda. Quia enim intellectus est quasi universale principium omnium intellectionum, ideo tribuitur illi vis efficiendi intellectionem ut sic, non quasi præscindendo gradum genericum, sed assignando effectum adæquatum, et sumendo rationem intellectionis quasi transcendentalem, et ut comprehendit omnes rationes et species intellectionum; e contrario vero species intelligibilis, quia solum potest efficere intellectionem talis speciei, ideo dicitur illam efficere, ut talis est, licet in illa consequenter efficiat gradum genericum, et quidquid in illo actu intelligendi reperitur.

3. *Intellectus de se insufficientis ad actus supernaturales.* — Ex his inferitur primo, in or-

dine ad naturales actus intelligendi, intellectum de se habere totam vim activam ex parte potentiae necessariam ad efficiendum actum intelligendi, solumque illi deesse concursum objecti, qui media specie tribuitur; at vero in ordine ad actus supernaturales, non solum deest intellectui humano concursus objecti, sed etiam deest illamet activitas partialis seu incompleta, quae ex parte potentiae necessaria est. Quod patet, quia nulla potentia habet ex se et ex natura sua virtutem activam in suo ordine seu ex parte potentiae sufficientem ad actus supernaturales, seu superioris ordinis; quia potentia naturalis per se tantum ordinatur ad actus naturales, et sibi proportionatos, ut in voluntate constat; ergo erit idem in intellectu.

4. *Objectio.* — *Responsio.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Dices, assumptum esse verum de actibus supernaturalibus, ut supernaturales sunt, non ut intellectiones sunt; quia ut sic conveniunt cum naturalibus, et ideo sunt proportionati virtuti naturali. Sed haec evasio explosa jam est, si recte considerentur quae diximus, tum quia non satis est intellectum per virtutem suam activam attingere in actu intelligendi rationem communem, sed oportet ut efficiat specificam et propriam, atque adeo ut efficiat actum, etiam ut supernaturalis est; tum etiam quia ipsa quoque communis ratio intellectionis, contracta jam ad talem actum, supernaturalis est, et ideo fieri non potest a potentia in tali actu per solam naturalem virtutem ipsius potentiae; quamvis enim ratio intellectionis, ut sic, a naturali et supernaturali abstrahat, et ideo intellectio, ut sic, nec naturalis, nec supernaturalis necessario sit, tamen haec ipsa ratio, in re ipsa contracta per differentiam supernaturalem, ad eundem ordinem elevata est, et in re supernaturalis est. Sicut ratio substantiae de se abstrahit a materiali et spirituali, contracta tamen ad Angelum, in illo spiritualis invenitur; per vim autem activam (ut diximus) attingitur res prout a parte rei invenitur, et ideo fieri non potest ut potentia per solam vim naturalem possit efficere rationem intellectionis in actu supernaturali. Quae omnia confirmantur, nam si intellectus de se haberet vim connaturalem sufficientem ex parte potentiae ad actus supernaturales, et solum indigeret conjunctione cum objecto, quae per speciem fieri solet, eodem modo compararetur ad actus naturales et supernaturales, et utrorumque esset aequae capax, et ad utrosque

haberet eandem propensionem, ac denique aequae essent illi debita species requisita ad tales actus; patet sequela, quia de se sufficientem habet vim connaturalem ad omnes illos actus, et ad omnes requirit species seu conjunctionem cum objecto. Dicitur fortasse differentiam esse, quia ad quosdam actus requiruntur species naturales, ad alios vero, supernaturales. Sed haec est quaedam petitio principii, contrarium enim videtur convincere ratio facta, nam si potentia de se est aequae capax, seu aequae effectiva utrorumque actuum, cur magis haec species quam illae sunt ipsi potentiae supernaturales, vel cur sunt minus debita haec quam illae? Nam etiam si dicatur quasdam species a solo Deo infundi posse, hoc non est satis ut sint supernaturales, si alias sunt proportionatae naturali virtuti ipsius potentiae, ut manifeste patet in speciebus angelicis, vel in iis quae animae separatae infunduntur.

5. Secundo, inferitur ex dictis, intellectum animae Christi non habere sufficientem virtutem activam naturalem, requisitam ex parte potentiae ad actus hujus scientiae; probatur ex dictis, quia actus hujus scientiae sunt supernaturales, ut ex supra dictis constat, et facile intelligitur de actibus qui versantur circa objecta supernaturalia, aut circa futura contingentia, et similibus. Et ex his potest idem concludi de actibus qui versantur circa res naturales; nam, licet materiale objectum naturale sit, tamen modus cognoscendi est altior et divinius, superans naturalem modum cognoscendi, non tantum hominis, sed etiam Angeli. At vero intellectus animae Christi de se non habet vim activam naturalem ex parte potentiae necessariam ad supernaturales actus efficiendos, ut ostensum etiam est; nam quoad hoc eadem est ratio de intellectu Christi, et quolibet alio intellectu humano; ergo.

6. *Intellectus non sufficienter elevatur ad actus supernaturales per solas species infusas.* — Et ex his ulterius concluditur tertio, intellectum animae Christi non elevari sufficienter ad efficiendos actus hujus scientiae per solas species infusas, sed indigere aliqua virtute, vel auxilio, quo elevetur ad conferendam efficaciam necessariam ex parte potentiae ad illos actus. Hoc etiam aperte sequitur ex dictis, et declaratur primo, quia activitas potentiae et speciei sunt distinctae, et diversarum rationum, et in suo ordine utraque debet esse completa et sufficiens; sed species

tantum confert activitatem requisitam ex parte objecti, et intellectus de se non habet activitatem sufficientem requisitam ex parte potentiae; ergo oportet aliunde suppleri. Secundo, quia ad actus naturales, species solum confert activitatem sufficientem ex parte objecti, supponit vero in ipsa potentia totam vim ex parte illius necessariam ad efficiendum talem actum, et utendum ipsa specie, quam vim conferre non potest ipsamet species; ergo similiter in his actibus supernaturalibus species non confert hanc vim, sed supponit. Cum ergo non supponat illam tanquam naturalem, ut ostensum est, necesse est ut per aliud supernaturale principium conferatur. Tertio, si objectum ipsum uniretur potentiae ad intelligendum, tantum conferret ad actum efficaciam ex parte objecti necessariam; ergo species tantum hanc confert, est enim veluti semen objecti, ut illius suppleat efficientiam; ergo si deest potentiae vis agendi ex parte sua necessaria, aliunde suppleri necesse est. Quod argumentum exemplo visionis beatae aperte declaratur: in illa enim visione essentia divina conjungitur potentiae in ratione objecti, et confert totam effectivam quam objectum conferre potest, vel quam species in absentia objecti contulisset; nihilominus tamen ex parte potentiae lumen ad illam visionem necessarium est, quia intellectus ex natura sua non habet naturalem vim ad conferendam activitatem ex parte potentiae necessariam ad illum actum; solum ergo objectum, vel species, non potest illam supplere. Cujus rationis vis nullo modo vitari potest, nisi vel negando lumen gloriae creatum, a visione distinctum, quod absurdissimum in Theologia est; vel dicendo videri Deum per speciem creatam, et praeter illam non dari lumen gloriae, sed illam vocari lumen, quia manifestat objectum. Quae evasio duo falsa continet: alterum, Deum videri per speciem creatam, contra receptam D. Thomae sententiam, et contra rationem, quia, ubi objectum ipsum est actu intelligibile, et per se ipsum adest potentiae, et potest cum illa concurrere, species necessaria non est; alterum non dari aliud lumen beatis, praeter illam speciem, quod est abuti terminis, praeter communem usum Theologorum, solum ad explicanda Concilia quae de lumine gloriae loquuntur, quod est Conciliorum definitiones enervare, et occasionem praebere, eas ad falsos sensus detorquendi. Omnes enim Theologi, qui de lumine gloriae loquuntur, sive, praeter illud, ad-

mittant speciem, sive negent, per lumen intelligunt rem ab specie distinctam, neque ullus est qui speciem intelligibilem vocet lumen intellectuale, sicut nec sensibilis species lumen sensibile vocatur. Cum enim species habeat vicem objecti, tanquam unum cum illo reputatur; lumen autem dicitur quoddam aliud medium quod objectum manifestat. Et praeterea contra hanc sententiam urget argumentum factum, nam etiam si objectum ipsum per se concurrat cum potentia, requiritur lumen seu virtus ex parte potentiae; ergo idem erit necessarium, etiam si concurrat, mediante specie. Quarto arguitur, nam experimur duos intellectus inaequales in perfectione per easdem species inaequaliter intelligere; cujus ratio est, quia species non supplet defectum potentiae, et quia usus speciei multum pendet ex virtute activa ipsius potentiae; ergo, quando potentia de se est insufficientis ad efficiendum actum, non potest sola species illam supplere. Quinto id explicatur ex subordinatione instrumentorum, quae ita se habent, ut unumquodque requirat propriam virtutem seu formam, et dispositionem, ut sunt calamus et manus; quamvis enim calamus bene aptus sit, nisi manui virtus sufficiens insit ad movendum, et menti etiam ars dirigens et ordinans talem motum, ineptus erit effectus. Similiter, si species angelica et universalis tribuatur intellectui humano, non poterit ea uti sua naturali virtute, quemadmodum utitur Angelus, quia est improporionatum instrumentum; multo autem magis improporionatae sunt supernaturales species. Unde confirmatur obiter, quia alias sine causa uni intellectui, vel Angelo, darentur universaliores species, vel perfectiores quam alteri, si quilibet eorum aequae posset illis uti, ac alius. Ultimo arguitur, quia in hac scientia infusa, cognitio (ut dictum est) fit per simplicem modum, cognoscendo effectum in causa, et proprietatem in essentia; sed ad perfectam hanc cognitionem non videtur posse sufficere sola species, nisi ex parte intellectus et luminis sit sufficiens vis, tum ad intelligendum perfecto modo, tum ad objectum penetrandum; ergo.

7. *Per habitum infusum elevatur intellectus Christi ad actus scientiae infusae.* — Et ex his ultimo tandem concluditur, in hac scientia, praeter species intelligibiles, dari habitum per se infusum, elevantem intellectum ad illius actus. Ita sensit aperte D. Thomas hic, ad 3, ubi distinguit lumen divinitus infusum

ad species, et illud significat esse unum, species plures. Et idem docet in 3, d. 14, art. 3, q. 4, et hic etiam, art. 4, dicit, hanc scientiam esse perfectiorem angelica, quantum ad lumen. Item sentit Richar., dist. 14, art. 3, q. 4; et Bonav., art. 3, q. 2. Probatur aperte ex dictis, quia virtus activa intellectus de se est insufficientis ad actus hujus scientiæ, et non elevatur per solas species; ergo aliqua alia re; ergo aliquo habitu infuso, quia, ut connaturali modo elevetur, debet per intrinsicam et inherenter ac permanentem virtutem elevari, et hanc vocamus habitum. Et confirmatur primo, exemplo voluntatis, conveniunt enim hæ duæ potentiæ in hoc, quod præter virtutem activam potentiæ, utraque indiget concursu objecti ad operandum, quamvis fortasse concursus objecti non sit ejusdem rationis in utraque potentia, quod nihil ad præsentem disputationem attinet. Hinc igitur formatur argumentum, nam voluntas, postquam illi propositum est objectum supernaturale, et supernaturali modo cognitum, quia non habet naturalem virtutem ad efficiendum actum illi objecto proportionatum, indiget habitu per se infuso, ut elevetur ad illum connaturali modo efficiendum; ergo similiter intellectus indigebit hujusmodi habitu, quandoquidem, posita specie, per quam veluti applicatur objectum, ipse in suo ordine est insufficientis, et non habet naturalem virtutem ad efficiendum actum tali speciei proportionatum.

8. *Objectio.* — *Responsio.* — Et ex hoc exemplo solvitur objectio quædam quæ fieri potest, scilicet, intellectum informatum specie sufficienter elevari per auxilium, nam, etiam posito habitu, indiget auxilio. Respondetur enim de potentia absoluta posse ita elevari, non tamen modo perfecto, et rerum naturis magis consentaneo. Sicut etiam voluntas posset eodem modo elevari; tamen perfectior modus, et magis connaturalis est, ut per intrinsicum principium et habitualement virtutem elevetur.

9. *Responsio.* — *Objectio.* — Nec refert quod, posito habitu, requiratur auxilium, nam illud est debitum, tanquam concursus primæ causæ in suo ordine necessarius; si autem non daretur habitus, majus auxilium et alterius generis deberet conferri. Ultimo tandem confirmatur hæc sententia, quia in scientiis naturalibus, præter species, requiritur habitus, et similiter in fide, et in prophetica cognitione; ergo et in hac scientia. Responderi potest, in

his omnibus requiri habitus, quia species sunt imperfectæ, unde objici potest scientia infusa Angelorum, in qua non datur habitus distinctus ab speciebus, quia species sunt perfectæ. Sed contra primo, nam hæc responsio locum non habet in visione beata, a qua etiam supra argumentum sumpsimus. Secundo, quia, si in aliis requiritur habitus propter imperfectionem specierum, multo magis hic erit necessarius propter imperfectionem potentiæ. Unde non est simile quod ex scientia Angelorum affertur, quia in illa non solum species perfectæ sunt, sed etiam virtus potentiæ est in suo ordine sufficiens et accommodata ad actus tales scientiæ, ad quos naturalem propensionem habet absque ullo impedimento, et ideo non indiget habitu; secus vero est in intellectu animæ Christi, ad actus hujus scientiæ comparato, ut satis explicatum est. Et ex his expeditum relinquitur fundamentum secundæ sententiæ supra positæ.

SECTIO III.

Utrum hic habitus vel lumen scientiæ infusæ sit in se unum tantum.

1. Prima sententia est, hunc non esse unum habitum, sed plures. Ita Bonav., in 3, d. 14, art. 3, q. 2; Cajet., 1. 2, q. 54, art. 4, non longe a fine; et tribuit D. Thom. hic, sine causa tamen; nam hoc loco non ponit plures habitus in hac scientia infusa, nisi ratione specierum, non vero ratione luminis infusi, ut in solutione ad 3 satis explicuit; et ita eum intellexit Petrus Bergomensis, in concordantiis D. Thomæ, dub. 12 et 16; et Cajetanus hic videtur etiam aliter sentire; non explicat autem hæc opinio quot sint hi habitus. Videtur tamen duobus modis in ea procedi posse, juxta duplex ejus fundamentum. Primum est, ut, quia species intelligibiles hujus scientiæ sunt plures, ideo etiam habitus vel lumina multiplicentur; et ita primus modus dicendi in hac sententia esse potest, tot multiplicari habitus vel lumina, quot multiplicantur species intelligibiles. Sed fundamentum hoc parum est efficax, quia fere omnibus habitibus scientiarum commune est, ut unus habitus scientiæ variis utatur speciebus intelligibilibus; unde verisimile non est, in hac scientia, de qua agimus, tot multiplicari habitus vel lumina, quot sunt species intelligibiles; et ratio generalis est, quia, cum habitus vel lumen teneat se ex parte potentiæ, ex suo genere universaliter principium est quam species, quæ

supplet vicem objecti, et ad talem actum determinat potentiam.

2. Secundum fundamentum sumi potest ex diversitate rerum in quibus hæc scientia versatur; cum enim sint diversorum ordinum, non videntur omnes ad eundem habitum pertinere; unde secundus modus in hac sententia esse potest, duos esse habitus hujus scientiæ, quorum alter circa res naturales, alter circa supernaturales versatur. Cum enim hæc objecta sint omnino diversorum ordinum, et per hanc scientiam in proprio genere et per proprias species cognoscantur, videntur requiri diversa principia, et habitus: scilicet, ad cognoscendas res supernaturales, prout in se sunt, habitus ordinis divini et supernaturalis; ad cognoscendas autem res naturales, etiam altiori modo quam humano, alius inferior, et quasi angelici ordinis. Quod vero non sit necessarium hos habitus in plures dividere, facile videtur posse suaderi, quia res omnes naturales cognoscuntur ab Angelo eodem lumine, quamvis per diversas species; ergo et in hac scientia poterunt cognosci eodem lumine infuso, cum sit perfectius quam angelicum; et pari ratione, aliud lumen sufficit ad cognoscendas omnes res supernaturales, tum quia illæ res non minorem inter se convenientiam habent quam res naturales inter se; tum etiam quia illud lumen est altius et perfectius. Solum in hoc dubitari posset de modo unionis hypostaticæ, qui inter omnes res supernaturales videtur esse altioris ordinis; tamen non oportet propter illum ponere specialem habitum, etiam in hac sententia, quia licet in genere gratiæ, et ex parte personæ divinæ, quæ communicatur humanitati, illa unio merito dicatur specialem ordinem gratiæ constituere, tamen, quatenus ille modus unionis creatum quid est, et supra naturalem capacitatem naturæ creatæ, cadere potest simul cum aliis supernaturalibus operibus sub idem lumen supernaturale hujus scientiæ. Et hæc opinio ita explicata est probabilis.

3. *Lumen scientiæ infusæ Christi unus tantum est habitus.* — Nihilominus dicendum videtur, lumen hujus scientiæ esse unum tantum habitum, seu qualitatem simplicem, ut sentit D. Thomas hic, ad 3, et in 3, d. 14, articulo tertio, q. 4; et Richard., art. 3, q. 4; Marsil., q. 10, art. 2, p. 4. Et fundamentum hujus sententiæ sumendum est fere ex dictis inter explicandam præcedentem sententiam, adjunctis iis quæ superius diximus, de modo quo res naturales per hanc scientiam

cognoscuntur altius et perfectius quam per naturale lumen alicujus intellectus creati cognosci possunt. Ex quibus ita argumentari possumus: nam lumen hujus scientiæ est sicut potentia quædam altioris ordinis quam sit lumen angelicum; est ergo de se universaliter principium; ergo complectitur sub objecto suo ea omnia quæ lumen angelicum attingere potest, et rursus ea quæ sunt supra angelicum ordinem, et pertinent ad supernaturalem, in quo lumen hujus scientiæ collocatur; sicut lumen intellectuale, quod superioris ordinis est quam sensus, comprehendit sub se omnia quæ sub sensum cadunt, et præterea res etiam sui ordinis sibi proportionatas. Et confirmatur, quia idem lumen fidei hac ratione versari potest circa res omnes, tam naturales quam supernaturales, quatenus altiori modo per illud lumen manifestantur; charitas etiam amat bonitatem naturæ sub aliqua habitudine vel ratione supernaturali. Et confirmatur præterea, quia res supernaturales ita sunt connexæ cum naturalibus, ut vix possint perfecte, et ut in se sunt, videri sine illis, ut gratia inherens animæ non videtur sine anima, et sic de aliis. Denique confirmatur, quia non oportet distinctionem ponere sine necessitate; hic autem nullum est sufficiens fundamentum, nam ex sola distinctione materialium objectorum non potest colligi distinctio habituum, et modus cognoscendi naturales res per hanc scientiam non solum excedit humanam cognitionem, sed etiam angelicam.

SECTIO IV.

Utrum lumen hujus scientiæ distinctum sit a lumine gloriæ.

1. Non invenio quæstionem hanc a Theologis disputatam, sed habet non contemnendam difficultatem. Tres enim modi dicendi mihi occurrunt, qui in dubitatione hac esse possunt. Primus est, supponendo opinionem supra tactam, quod in hac scientia sit duplex habitus, quorum unus circa naturalia, alius circa supernaturalia versetur. Quo supposito, dici potest, habitum seu lumen, quod versatur circa supernaturalia, non distingui ab ipso lumine gloriæ, propter ea quæ statim in modo tertio dicemus; habitum vero, qui versatur circa naturalia, distingui ab illo lumine, propter suppositionem factam; et si illa suppositio vera esset, ego hunc modum tanquam veriorem etiam eligerem. Sed (ut vidimus)